

6. Ad Frontin. Strategg. II, c. 9 extr. et c. 12, §. 2.

Decem fere anni sunt, ex quo de colligendis et edendis  
rei militaris scriptoribus graecis latinisque consilia inii, quos

adhuc miserandum in modum neglectos esse videram tum quum ad Xenoph. lib. de rep. Lacedd. Spartanorum artem tacticam explicabam. Nec vero ignorabam difficillimum me opus aggredi; sed tamen quot illae quantaque difficultates essent, postea demum plane intellexi, quum totum illud septuaginta fere librorum *σμήνος* excitassem, quorum paene tertia pars inedita adhuc iaceret, reliqui autem ad unum omnes adeo vel raro vel vitiose editi essent, ut tota haec antiquarum litterarum pars communibus studiis videretur paene crepta esse. Non enim vel e Graecis Aeneam, Aelianum, Onosandrum, Polyaeum, vel e Latinis Vegetium Frontinumve excipio, qui recentioribus atque etiam diligentioribus aliquot editionibus vulgati sunt. Nolo nunc narrare reliquis quid acciderit; exemplo erit unus Frontinus, cui videri possit haud male consultum esse, quum Fr. Modius, G. Stewechius, P. Scriverius, Sam. Tennulius, Fr. Oudendorpius, Nic. Schwabeilius cum aliis diligenter in eo et explicando et emendando versati sint, adhibitis etiam speciosis librorum mss. copiis, quorum numerus est supra viginti, vel etiam triginta, si quis numerare velit undecim codd. Paris., quorum *lectiones varias textui se subiecisse* scribit Ios. Valart, homo ventosissimus, qui Frontinum capitali plane levitate edidit Lutetiae a. 1763. Sed tot collatorum codicum qui fructus fuerit, facile aestimabitur, quando emendavero locos lib. II, c. 9. extr. et c. 12. §. 2, quorum ille plane iam a viris doctis desperatus est, hic vero aut silentio praetermissus aut frigide excusatus, uterque denique vexatus infelicibus coniecturis. Ceterum plane singularis in illis locis casus versatus est, de quo iam olim e codd. collatis cognosci potuit, si accuratius collati essent; ego rem repperi, quum Parisiis in conferendis aut describendis graecis rei militaris scriptoribus occupatus Frontinum ibi nondum attigissem. Contigit enim, ut quum forte tabernam librariam Labittii intrassem alios quosdam libros quaesiturus, venalis esset codex quidam ms. Frontini chartac. sec. XV., quem haud magno precio emtum statim abstuli et oculis per-

lustravi. Fuit autem olim is liber „B. Mariae in Salem“, et, quantum cognoscere potui, ab aliquo centurione vel tribuno Francogallico est in praeda Parisios delatus et deinde venditus, nunc vero a me in patriam reductus; bibliotheca monasterii Salemitani, quod est prope Constantiam, quando direpta sit, equidem ignoro; neque enim verisimile est totam a. 1697 incendio absumptam esse, quod affirmavit Dan. Schoepflinus, quum superiore seculo locum quendam Leonardi Aretini ex illius bibliothecae codice descriptum infelici errore pro Livii fragmento vendidisset; vid. Drakenb. praef. ad Liv. vol. XV, pag. CXXXV sqq. ed. Stuttg. Ille igitur codex meus quamvis novicius quum alia habet memorabilia, de quibus nunc taceo, tum illud me statim advertit, quod lib. II, c. 9 extr. post verba haec: *quarū meta illi / cum aduentarēt· recepit aciem persecuti acie in fossas ceciderūt* eiusdem librarii manus rubris litteris addidit haec: *Nota hic def̄tm* (i. e. defectum) *magnū*. Et sane sequitur hinc non cap. 10 et 11. sed cap. 12 inde a §. 3, posita tamen capituli 12 inscriptione ea, quae est in edd. et addito falso numero his verbis: *Capitulum Decimum*. Ad eundem locum recentiore manu positum est in marg. tale signum ††. Sequitur deinceps suo loco cap. 13, atque id etiam a prima manu inscriptum est *Capitulum tredecimum*, in marg. vero recentior manus haec adscripsit: *hic deficiunt XI<sup>m</sup> et XII<sup>m</sup> Capitula · sunt in fine libri descripta circa tale ☉ signum*. Iam vero post ultimum, i. e. septimum caput libri IV ponuntur ea quae hic ommissa sunt et quidem ita, ut librarius ea videatur pro parte extrema eius libri habuisse, quamquam quod est lib. II cap. 10 in quarto libro non octavum sed *septimum* capitulum appellavit; rec. manus vero *nonum* inscripsit et in marg. addidit haec: *ista tria cap̄ta pertinent ad rubrum sub 2<sup>o</sup> libro circa tale signum ☉* itemque caput sequens, quod est lib. II. 11, a prima m. inscribitur *Octavum*, quam vocem rec. m. delevit, non correxit, eademque in marg. adscripsit: *Ista duo sequentia capitula pertinent ad rubricas sub secundo libro contentas circa tale ☉ signum*.

Postremo loco positum est lib. II, cap. 12, §. 1 et 2, repetita huius cap. inscriptione, quae iam antea erat reliquae eius cap. parti praeposita; numerum vero neutra manus addidit. Apparet igitur, ommissa suo loco fuisse omnia quae sunt inter lib. II. cap. 9 extr. et cap. 12 §. 3 init. eaque extremo libro addita esse atque id animadversum etiam ab ipso librario, sed accuratius notatum ab altero, quamquam hic quoque erravit bifariam. Initio enim *duo* tantum capita transposita esse putavit eaque excidisse statuit ante lib. II, cap. 13. deinde cum *tria* capita esse ommissa intelligeret, hoc quoque postea in marg. adscripsit; diversum enim tempus atramenti quoque color arguit; simul signo aliquo indicavit, non solum ante cap. 13. sed etiam continuo post cap. 9. lacunam esse, ubi prima iam manus *defectum magnum* notaverat; verumtamen quum duas partes unius cap. 12., quarum posterior suo loco posita, prior in fine addita est, pro duobus capitibus haberet, et quum illam partem videret tamquam cap. 10 inscriptam, fecit quod unum reliquum erat, si constare numeros vellet, ut id quod re vera est cap. 10, nonum inscriberet coniungique vellet cum eo, quod est re vera nonum, deinceps sequi putaret cap. 12, §. 3 et 4 tamquam cap. 10, et hinc rursus interponenda esse integrum cap. 11. et capituli 12 §. 1 et 2, duorum capitum loco, quae praecederent cap. 13. Facile intelligitur, recentiorem hunc codicis mei correctorem suo Marte rem gessisse, aut si forte aliud exemplum inspexit, tamen plus eum sui codicis numeris tribuisse, quum non reputaret, quam facile fieri potuerit, ut capituli 12 pars posterior capituli nono subiecta caput decimum inscriberetur a librario, qui vellet numerorum ordinem servare, quamvis aliquid excidisse non ignoraret. Ceterum quamquam ex unius huius codicis indiciis intellexi, quid in vulgatis Frontini editionibus corruptum sit, tamen antequam id doceam, addendum est, non recentem esse aut mei cod. propriam illam capitum duorum cum dimidio transpositionem. Habet enim plane eandem cod. Bernensis, qui est sec. XV, signatus numero 438. b. et olim

fuit Iac. Bongarsii de Bodney; eius libri collationem habeo diligentissime confectam a Bremio, qui tamen in numeris capitum siquid forte librarius mutavit, non perscripsit. Accedit praeterea codex, qui est inter Parisienses optimus et vetustissimus sec. XII. membran. olim Colbertinus, nunc in bibl. regia signatus numero 7240. in quo cod. post cap. 9. idem librarius, qui totum librum perscripsit, maiusculis litteris adiecit haec: *Duo capitula sunt requirenda*. Deinceps posuit capitum 12 inscriptionem atque ipsum caput 12, inde a §. 3; veros numeros hic non mutavit; omissa autem et in fine posita capita adnumeravit libri IV capitibus, quorum quum septimum, quod nobis ultimum est, quintum numeraret, subiecta illic lib. II, cap. 10 et 11 et initium cap. 12 fecit libri IV capp. 6 et 7 et 8. Denique eiusdem erroris etiam vetustiore testem habeo codicem Gothanum, quem Fr. Iacobsius, vir praestantissimus, iudicat seculo VIII. scriptum; neque ego alium vetustiore Frontini codicem vidi. Ille vero liber post Eutropii libros X. subiungit Frontini librum IV integrum, deinde reliquorum librorum praefationes et initia; quarto autem libro adhaerent illa ipsa, quae in meo quoque cod. et in Bern. et Paris. dixi e libro II. in finem reiecta esse; neque magis ea a lib. IV. cap. 7. ullo indicio separata sunt, praesertim quum capita nulla numeris insignita sint; atque post lib. II, c. 12, §. 2. legitur etiam subscriptio haec: *Iuli Frontini Strategematon liber quartus explicit*. ut iam dubitari nullo modo possit, quin ille quoque codex, e quo vetustissimus Gothanus fluxit, plane cum nostris illis consenserit. Origo autem tantae perturbationis quae fuerit, facile est conicere; quum enim ea, quae e libro II. transposita sunt, videantur commode duas paginas implere potuisse, probabile est in aliquo codice aut folium integrum defuisse aut librarium eius codicis, e quo describeret suum, duo folia pro uno vertisse, ut quum in lib. II, cap. 9. extr. pagina terminaretur, sequentibus duabus paginis omissis statim cap. 12, §. 3 subiungeret, erroremque deinde ita corrigeret, ut post cap. 9 lacunam esse aliquo modo si-

gnificaret, omissa vero in calce libri adderet. Deinde quum alius librarius errorem in tempore animadverteret, reposuit ea, quae in fine erant, post lib. II, c. 9. qua in re tamen novum errorem commisit, qui ex illo tempore in alios multos codices propagatus est, et denique in editiones omnes. Scilicet plane iam manifestum est verba postrema capituli 9. transponenda esse in finem cap. 12 §. 2. fossarum enim mentio illo quidem loco fieri prorsus nullo modo potuit; nam strategema Hermocratis, quod est notissimum ex Thucyd. VII, c. 73. Diodor. Sic. XIII, 18. Polyæn. I, 43, 2. Plut. Nic. c. 26., hoc fuit, quod falso de itineribus praecoccupatis nuncio permovit Niciam, ut non proxima post acceptam cladem nocte discederet cum exercitu sed aliquot dies moraretur, quo quidem tempore Syracusani e communi crapula et victoriae gaudio resipuerunt et praegressi vias insederunt; nec vero postea Athenienses in fossas ceciderunt; quis enim credibile putabit, fossas appellari pro Assinaro fluvio, de quo vid. Thuc. VII, c. 84. neque etiam par erat Athenienses sic simpliciter dicere victos esse, qui paene ad interuiccionem caesi sunt. Contra cap. 12, §. 2. fossarum mentio quam maxime necessaria est; postquam enim narravit Frontinus Sertorium contra hostium equitatum usque ad munitiones ipsius ferociter succedentem scrobes aperuisse, necesse erat addere, quid illis scrobibus factum esset; scilicet hostes persecuti Sertorii aciem in eos deciderunt et ita victi sunt. Quae vero Oudendorpius commentus est de scrobium consilio, ea plane falsa esse nemo non intelligit. Quare sic statuendum est. Librarius is, cui tota haec perturbatio debetur, usus est codice, cuius una aliqua pagina terminaretur his verbis cap. 9; §. 7: *dispositas etiam ubique a Syracusanis insidias quarum metu* — hinc quae sequebantur in duabus proximis paginis, ea praetermisit et in tertia inde pagina verba prima repperit illa: *illi quum adventarent recepit aciem. persecuti aciem in fossas deciderunt et eo modo victi sunt.* quae verba quoniam cum illis recte videbantur coniungi et numero pauca erant neque ma-

nifestum aliquod diversi capitis indicium habebant, capiti nono adhaeserunt, neque etiam postea ab eo disiuncta sunt, quum animadversus esset scribendi error, quippe qui ad integra tantum capita videretur pertinere; eoque modo illud quoque factum est, ut quum omissae paginae in fine describerentur, periret tamen capitis noni clausula, quia id iam plenum atque integrum videbatur esse. Neque magis ille rem sensit, qui postea capita omissa in suum locum reduxit; quae quum ponenda essent ante verba illa: *illi quum adventarent — victi sunt*, post ea posita sunt. Atque hanc fuisse insignis corruptelae originem quum per se satis perspicuum est, tum accedunt etiam quasi quaedam testimonia in meo Bernensique codd. servata, e quibus colligi videtur, librariorum quoque verba ea, quae demonstravi transponenda esse, ab loco suo aliena iudicasse; nam in Bern. cod. post *quorum metu* aliquantum spacii vacuum relictum est; in meo vero quamquam verba omnia continuantur, tamen post *illi*, quae vox in extrema linea posita est, conspicitur lineola  $\sphericalangle$ , quae utrum pro commate habenda sit an item lacunae indicium servet, reiectum illud ultra unam vocem *illi* in marginem, in ambiguo relinquam; neque enim opus est Bernensis libri fidem alio testimonio confirmare. Superest ut utrumque locum e codd. emendatum proponam.

Lib. II, c. 9, §. 7. Idem rebus prospere gestis et ob id resolutis suis in nimiam securitatem somnoque et mero pressis, in castra transfugam misit, qui praemoneret se fuga elapsum; dispositas etiam ubique a Syracusanis insidias. *quorum metu \* \* \**

Lib. II, c. 12, S. 2. Q. Sertorius in Hispania hostium equitatu maxime impar, qui usque ad ipsas munitiones nimia fiducia succedebat, nocte scrobes aperuit et ante eos aciem direxit. Cum deinde turmales secundum consuetudinem redire vellent, pronunciavit comperisse se insidias ab hostibus dispositas; idcirco ne discederent a signis neve agmen laxarent. Quod cum solerter ex disciplina fecis-

set, exceptus forte veris insidiis, quia praedixerat, inter-  
ritos milites habuit; illi cum adventarent, recepit aciem;  
in fossas deciderunt et eo modo victi sunt.

In his quae praeter transposita verba mulavi, nec multa sunt  
nec magni momenti, et singulatim ea excutere nunc non va-  
cat; satis habeo uno maxime insigni exemplo ostendisse, in  
amplissimis codicum mss. copiis nequaquam adhuc parem  
fuisse editorem diligentiam, atque id simul testimonium volo  
esse iis, qui me in edendis rei militaris scriptoribus vel copiis  
suis adiuverunt vel verbis honorificis ad festinationem exhor-  
tati sunt, non abiecisse me consilium, sed distulisse et certam  
nunc spem habere, fore ut mox conata perficiam.

F. Haase.

---